



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

IV. & de Graeca.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

credibile non sit tantam fuisse posterorum focordiam, ut Librum Angeli jussu à viris tam perfectæ pietatis lucubraturum intercidere passi sint. Persuadet idem & Chaldaica loquela qua scriptus est, quæque in partibus illis usurpabatur, ubi vitam egit Tobias uterque. Latinam enim quam terimus interpretationem se ex Chaldaico sermone, ope hominis cujusdam linguæ utriusque periti, extudisse testatur Hieronymus. Unde recte quoque possumus concludere à Judæis Palæstinam incolentibus haudquaquam fuisse compositum. Hoc si ita foret, dicendum prorsus esset, factum id fuisse postquam Babylonis vinculis exemti sunt Judæi. Traditur enim in Beresith rabba & in Thalmude Hierosolymitano, Angelorum Raphaëlis, Michaëlis & Gabrielis nomina, cum mensium nominibus, è Babylonia venisse. Verum aperte demonstrat Chaldaica Libri oratio, ut dixi, aliunde repetendam esse ejus originem. Præter superiora persuadet etiam à Tobia utroque scriptum esse narratio *ἰστορησώτως*, quæ in Græca interpretatione, & Syriaca ad Græcam expressa, & Ebraica recentiore observatur. Hic enim Interpretum consensus indicare videtur quid exemplar primigenium habuerit. Hieronymi vero interpretatio etsi ex Chaldaico ipso archetypo derivata est; nihilominus tamen quoniam à se elaboratam ait Hieronymus adhibito Interprete, qui quæ legebat Chaldaice Ebraicis verbis reponebat, hinc alienum aliquid & adventitium huic adhæsisse par est suspicari; & quæ à Tobia *ἰστορησώτως* dicta erant, velut *ἰστορησώτως* dicta ad Hieronymum fuisse relata.

Hier. Pref. in Tob.

Hier. Pref. in Tob.

Ad hæc demonstrant Libri antiquitatem sententiæ quædam à sequentium ætatum Scriptoribus usurpata. Cujusmodi illa est è quarto capite: *Eleemolyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*: quam sic repræsentavit Jesus Sirachides: *Conclude eleemolynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo*. Legitur in eodem Tobie capite: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*: comparet eadem sententia apud Matthæum & Lucam. Quamquam ex ipsius naturæ dictatis sumi potuit. Scripsit Tobias: *Beatus ero si fuerint reliquie seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem. Porta Ierusalem ex sapphiro & smaragdo edificabitur, & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus: ex lapide candido & mundo omnes platee ejus sternentur*. Talis propemodum fuit illa Ierusalem, quam Johanni ostendit Angelus in Apocalypsi: *Et erat structura muri ejus ex lapide iaspide, ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum iaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius, quartum smaragdus..... Et duodecim porte duodecim margarite sunt per singulas & singule porte erant ex singulis margaritis; & platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum*. In quibus vides Tobie & Johannis consentientem novæ illius Ierusalem descriptionem. Hæc autem conveniunt doctrinæ vetustiorum Prophetarum, qui Hierosolymæ, ac montis Sion, & civitatis Dei symbolo ac nomine Ecclesiam Christi præsignificare solebant. Apponamus hic denique notationem jam sæpe adhibitam; genuinum esse Librum hunc, ut pote qui sit, uti esse fertur, ignorabilis Auctoris & temporis.

Tob. 4. 11.

Eccli. 29. 17.

Tob. 4. 16.

Matth. 7. 12.

Luc. 6. 31.

Tob. 13. 20, & seq.

Apoc. 21. 18,

& seq.

III. Extant libri Tobie Ebraice duæ editiones, à Munstero & à Fagio editæ: si modo duæ, non eadem credi possunt, quæ in multis licet dissentientes locis, maximam tamen inter se affinitatem habent, nec minorem cum tertia quadam, quæ manu scripta penes me est, quæque ad illam Munsteri propius accedit quam ad Fagianam. Multum illæ discrepant tum à Latina Hieronymi, tum & à Græca, quam presertim tamen assèctantur; ut si minus ab hac, ab aliis certe quæ ad illam accuratæ sint propagatam credere dignum sit. Utcunque est, temerarium esse & falsum liquet, quod à R. Davide Ganz in Chronologia traditum est, editionem Munsteri ab ipso Munstero confictam fuisse & suppositam, & quicumque nares habuerit non obtusas, futurum ut fraus ei facile subleat, totumque opus ineptum esse & stolidum, res vero quæ in eo narrantur, falsas penitus & commentitias, Quod judicium quam vanum sit, ex editione Fagiana & exemplari nostro manuscripto intelligitur: sed Judæum puidisset non ineptire. Scribit quidem Origenes ad Africanum accepisse se ab Ebraeis libros Tobie & Judith, ab eis Ebraice scriptos, in apocryphis haberi: sed Chaldaicum ipsum archetypum intelligo. Chaldaica quippe lingua Ebraicæ nomine sæpe continetur.

Disputatur de tribus Ebraicis libri Tobie editionibus.


IV. Omnium Interpretationum Libri hujus, quæ hodie circumferuntur, antiquissima, ac proinde purissima, & exemplari simillima Græca est: nam ea, & veteri Latina ad illam accurata usos esse videmus Auctorem Constitutionum quæ Clementi ascribuntur, Polycarpum, Clementem Alexandrinum, aliosque Patres Græcos & Latinos Hieronymo vetustiores. Quid quod à Septuaginta Interpretibus concinnatam quidam arbitrati sunt, sed non ego credulus illis: cum enim in Canone non haberetur ille Liber, quis credat fuisse in luculento & accurato exemplari, quod ad

& de Græca.  
Clem. Constit. Apost. 1. 1. c. 1. 1. 3. c. 15. 1. 7. c. 2. Polycarp. Epist. ad Philipp. Clem. Str. 1.

Ptolemæum Philadelphum transmissit Eleazarus Pontifex: Neque vero ejus auctorem Theodotionem dicam, quod multi faciunt, quippe quam vidisse certum sit Scriptores antiquiores Theodotione. Potius est ut eam Ægyptiis Hellenistis adscribamus, quos & eam ex Chaldaico exemplari excepiisse verisimile est, & ad reliquas Scripturæ sacræ partes à Septuaginta Senibus Græce converfas, & usu quotidiano versari sibi solitas accudisse; atque hinc porro accepisse Christi Ecclesiam, & in suum demum Canonem retulisse.

Refelluntur  
argumenta  
Adversario-  
rum.  
Unicum ar-  
gumentum.

V. Nunc vero postularet hic locus, ut vulgaria argumenta quibus oppugnari solet Liber iste, pro more nostro discuteremus: quod quoniam abunde factum est ab aliis, præsertim ab iis qui susceptis adversus ætatis hujus Heterodoxos velitationibus & controversiis inclaruerunt, disputatione hac superledebo. Unicum hoc refellam, quo ea Libri hujus antiquitas, quam statui, convelli potest, quod nempe non fuerit in Canone, cum credibile sit minime eum prætermisuram fuisse Synagogam magnam ac Esdras, à quibus Canon conditus est, si jam ante extitisset. Verum cum eo tempore maximis rerum difficultatibus premeretur Israëlita gens, quamvis libertati & patriæ reddita, nondum Esdras, quantumlibet studiosus ac diligens, omnes gentis suæ historias & veteris memoriæ monumenta à popularibus suis scripta colligere potuerat. Quæ postmodum reperta ab aliis, in Canone jam clauso & obfignato locum non habuerunt.



DE LIBRO JUDITH.

I. Disputatur de Auctore libri Judith. Variæ opiniones proponuntur. II. Incertus est ejus Auctor: conjectura ætas exploratur. Probatur ejus *ἡλικία* & antiquitas. III. Libros Tobie & Judith inter Hagiographos ab Ebraeis esse positos contra Scaligerum defenditur. IV. Disputatur de præcis libri Judith interpretationibus. V. Judith tempore Manassis regis Juda facinus suum videtur edidisse. VI. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. VII. Secundum argumentum. VIII. Tertium argumentum. IX. Quartum argumentum.

Disputatur  
de Auctore  
libri Judith.  
Variæ opinio-  
nes proponun-  
tur.  
Hieron. Præf.  
in Judith.  
Ibid. Orig. libr.  
4. cap. 2.

I. QUÆ de libro Judith dictum sumus, paria sunt propemodum iis quæ de libro Tobie diximus: nam & ex Ebraeorum Canone segregatus est, & à Christi tamen Ecclesia receptus, & quæ in eo narrantur minime fictitia esse agnoscunt Judæi, & Librum ipsum inter Hagiographa collocant, Hieronymo teste, & Libri auctor ac scriptoris tempus veniunt itidem in controversiam, & recentiorum disputationibus adeo ventilata sunt in utramque partem & excussa omnia, ut vix quidquam videatur addi posse. Paucis tamen hanc quoque partem attingemus. Dixi incertum esse Libri Auctorem, & ita sane esse pridem dixit Isidorus. Sunt qui Eliachimum velint, alio nomine Joachimum dictum, in ipso Judithæ volumine memoratum, qui summum Judæorum Pontificatum tenuit Manassis Judæ regis temporibus, Librum elaborasse. A Josua Josedeci filio, summo itidem Judæorum Pontifice, Zorobabelis comite, scriptum esse affirmat Jedidæus, hoc est Philon Alexandrinus, in libro De temporibus, quem è Latino Ebraice retulit R. Azarias in *מאור עינים*; quippe Judithæ historiam Xerxis ævo evenisse censebat. At quamvis hoc opus Jedidæi, sic ipsum Pseudo-Philonis Judæi Breviarium temporum, ita tamen interpolatum est, ut aliud videri queat, & Joachimo Josuæ filio, summo itidem Pontifici, in Latina hac scriptio- ne supposititia adscribitur liber Judith, qui Josuæ ipsi in Ebraica. Hieronymus in interpretatione Eusebiani Chronici hæc scribit: *Cambyses aiumt ab Ebraeis secundum Nabuchodonosor vocari, sub quo Judith historia conscribitur*: cum debuisset scribere, *sub quo Judith historiam ferunt contigisse*: sic enim habent Græca: *ἡ ἱστορία τῆς ἰουδαίας ἀποστολῆς τοῦ ἰουδαίου*. Grotius lucubraturum putabat hoc opus Antiochi Epiphaniis temporibus, paulo ante Assamonæorum principatum, totumque *ἡλικία* censebat & concinnatum ad confirmandos Judæos adversus grassantem impii hujus Regis tyrannidem.

Euseb. Chron.  
libr. 2.

Grot. Præf. in  
Judith.

Incertus est  
ejus Auctor:  
conjectura

II. Ego in re incerta ab omni me assensu sustineo. Quod si tamen in tenebris micare liceat, scriptum conjiciam Babylonica captivitatis temporibus, ad leniendam exilii hujus ægritudinem, & spe arrigendos Israëlitarum animos. Id sua det Chalda-